

Captis V. i. Joh. 20 Epistolæ genuinum & divinæ penitus
 authoritatis esse. Eam verò cum crastinâ die post sacra
 matutina è cathedrâ Lutheri sit recitaturus, decenter roga-
 mus Magnificum Academiae Rectorem, Perquam Illu-
 stres LL, BB. Patres Academiae conscriptos, cæterosque
 Viros omnium ordinum honoratissimos, Academiam
 imprimis Veritatemque cælestem amantes, ut frequen-
 tes adsint, Oratoremque hunc sacrum favore suo juvare
 non dedignentur. Nobilissimam verò Studioforum Co-
 ronam, quam præsentibus etiam amanter invitamus, &
 lubenter & frequenter affuturam esse, nulli dubitamus.
 Agnoscat illud beneficium cum Nobis Candidatus no-
 ster mente gratissimâ, gavisus plurimum, si, se erga quos-
 libet gratum exhibere se posse, intellexerit. Cæterum pros-
 peret Sanctissimum Numen & hæc & alia negotia sacra,
 & nunquam concedat, ut Veritas suis Defensoribus & A-
 matoribus destituatur. Conserva nos, Domine, in Ve-
 ritate Tuâ: Verbum Tuum est Veritas, Propos. Publ.
 in Acad. Wittenbergensi Festo Visit. Mariæ,
 A. E. C. M DC XCI.

